

**Iridis inflammatione diversa : dissertatio inauguralis medica ... / auctor
Georg Anton Hirschfelder.**

Contributors

Hirschfelder, Georg Anton.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Joannis Friderici Starckii, 1817.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p7bcgane>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE

IRIDIS

INFLAMMATIONE DIVERSA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM
ORDINIS

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

LEGITIME IMPETRANDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GEORG. ANTON. HIRSCHFELDER

SILESIUS MODLAVIENSIS.

DIE XIX. M. JULII MDCCCXVII.

H. L. Q. S.

BEROLINI, MDCCCXVII.

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

Quo gravior inflammatio est, eo magis leniri medicamento
debet.

Celsus Lib. VI. c. 6,

De iridis inflammatione diversa.

Introductio.

§ 1.

Mirum sane videtur, quod, cum admodum differat ophthalmitis interna ab externa, ad Boerhaavii tempus usque, nemo medicorum inflammationem oculi internam observavit vel descripserit. Patet hoc ex ipsa viri hujus celeberrimi confessione¹⁾ ubi fere haec dicit: „Legens scripta eorum, qui hac de re (sc. de inflammatione oculi vehementiori) egere, partes oculi externas semper et solummodo esse inflammatione correptas, credidi; sed cum tales affectiones ipse tractandas haberem, etiam partes internas inflammationi subjectas esse, didici.“ Quamquam hoc modo Boerhaavius, ad investigationem accuratiorem et ad hujus generis inflammationum distinctionem intenderet ophthalmosophos, tamen St. Yves²⁾ ophthalmitidem internam brevissimus absolvens, nullas ejusdem species distinxit;

1) Vid. Boerhaavens Abhandlung von Augenkrankheiten §. 55.

2) Vid. Nouveau traité des maladies des yeux par Mr. de St. Yves. A Paris, MDCCXXII. II. Partie. Chap. IV. Artic. XI.

et quae *Antoine Maître-Jan*, *Taylor*, *Guerin* etc. ophthalmitidem internam spectantia protulere, perspicuitate, ordine et deductione carent; nec minus, ut facile ex scriptis eorum ¹⁾ intelligi potest, ubique dispersa inveniuntur. Immo celeb. *Richter* ²⁾ nimis opinioni, ophthalmitidem internam maxime ab externa oriri, indulgere videtur. Cum autem *Adamus Schmidt*, vir ingenii acumine pollens, exper. *Beer* et celeb. *Himly*, ophthalmitidis internae speciebus studere inciperent, hae mox ad altius perspicuitatis fastigium evehebantur; et etiam quae hic de iridis inflammationibus proferam, his viris maximam partem, ne dicam ex toto, debemus.

§ 2.

Iridis in genere inflammatio eo facilius diagnosci potest, quod ea exorta, examine diligentiori omnia, quae habemus symptomata inflammationis essentialia, observantur. Nam stipatur doloribus sat vehementibus cum sensu caloris aucti; mox laeditur iridis functio, mutatur ejusdem color, quem intumescencia sequitur. Nihilominus, cum phaenomena haec evolutam jam comitentur iritidem, notatu dignum videtur, eam in principio admodum facile observationem elabi, aut ob varias modificationes cum alia oculi affectione confundi posse. Quare iritis incipiens teneritati atque sub-

1) a. Vid. *Traité des maladies de l'oeil* etc. pr. Mr. Antoine Maître-Jan. A Paris, MDCCXL. II Part. Chap. V.

b. *Genaue Beschreibung von 242 Krankheiten, welchen das Auge und seine nahe liegenden Theile unterworfen sind*, v. Johann Taylor. Frankfurt am Main, 1750. pag. 324. etc.

c. *Traité sur les maladies des yeux* pr. Mr. Guerin A Lyon, MDCCLXIX. pag. 230

2) *Richters Anfangsgründe der Wundarzneikunst* III. Bd. 1 bis 9 Kapitel.

tilitati organi, quod afficitur, summae, convenientem exposcit attentionem; quae eo exactior sit, quo magis de iridis in oculo dignitate, et magna ejus ad affectiones morbosas proclivitate, nobis persuasum habemus.

§ 3.

Ut ophthalmitis interna secundum celeb. Beer ¹⁾ praeceptorem semper pie colendum, ad duo restringitur genera, nimirum ophthalmitidem internam proprie sic dictam et iritidem; ita iterum iritidis tres potissimum numerantur species, nempe: *iritis idiopathica, syphilitica et arthritica*. Alius adhuc indolis occurrere inflammationes iridis, nos vel minime fugit; sed scire licet has in iride focum non habere, cum potius ophthalmiis bulbi externis, praecipuis dyscrasiam aliquam prae se ferentibus, hinc facile partes internas corripientibus, gignantur; vel, si superioribus exceptis, aliae, quod verisimile, ab initio jam in iride sedem agnoscentes, existunt, rarissime forsitan conspiciuntur, quam ob rem huc usque nondum sat observatae sunt. His ponderatis, veniam dabis, L. B. si duplice hoc inflammationum genere plus minusve supersedemus.

§ 4.

Quum iritis rapidiorem plerumque decursum habeat, tum, ut jam supra paucis admonuimus, visui infestissima et periculosissima ²⁾ sit, nec fere unquam natura medicatrice magno sine detrimento sanetur, medicus Celsi sententiae: *Quo major inflammatio, eo magis leniri medicamento debet, maxime immemor sit, necesse est.*

1) Vid. Lehre von den Augenkrankheiten von Joseph Beer. Wien, 1812, I. Band, Seite 421.

2) Vid. Börhaavens Abh. v. Augenk. § 59.

Iritis idiopathica.

Notio et genesis hujus inflammationis.

§ 5.

Iritis idiopathica illa dicitur iridis inflammatio, quae vel ex irritatione nimia, vel laesione hujus membranae oritur; propterea et in hac ipsa sese evolvens ad partes bulbi adjacentes propagatur. Cum autem iris, quod inter anatomicos omnes physiologosque constat, vasis et nervis sit ditissima, tum vegetationis animalis, ut *Ad. Schmidt* ait ¹⁾ flos tenerrimus maxima excellens irritabilitate: singulare certe videtur, eam tot tantisque in omni cataractam amovendi, pupillamque artificialem formandi, methodo, offensionibus subjectam, haud frequentius inflammatione corripitur, aut correptam neque parum mutatam justo tractamine ad integritatem saepissime reduci posse. Sed haec minus admirabimur, si iridem, qua excellit, compage absolutissima et indifferentia summa praeditam, aut ut *Troxleri* verbis utamur ²⁾ symbolum infiniti in finito perfectissimum habemus.

§ 6.

Ex dictis jam adparet, iridem ubi ad cataractam amovendam vel pupillam artificialem formandam, operationes instituuntur, vehementioribus saepissime offensionibus laesionibusque adfici, quare et iridem ab hisce operationibus orientem non raro observamus. Maxime vero haec inflammatio inter cataractam tollendi methodos, extractionem

1) Vid. Ophthalmologische Bibliothek, herausgegeben von Dr. Karl Himly u. Dr. Johann Ad. Schmidt. III. Bd. 1. St. pag. 178 f

2) Vid. Ophthalmologische Bibliothek v. Himly u. Schmidt, I. Bd. M. St. pag. 46.

ob aeris influxum liberum, ut celeb. *Beer* opinatur, minus depressionem et reclinationem, et minime keratonyxin sequitur. In pupillae artificialis formatione, koretodialysis iridi infestissima est; non tam perniciosas koretonectomiam et koretotomiam ¹⁾ invenies. Omnes hae operationes eo facilius iridi inflammationem inferant, necesse est, quo rudior est chirurgus, quo magis caret necessaria dexteritate et instrumentis utitur ineptis; tum etiam, si suscipiuntur in valde sensibilibus, pauperibus, stupidis, dicto non audientibus, valetudinariis vel dyscrasia aut capitis doloribus laborantibus; et tandem praecipue ut equidem censeo, quando constitutio annua inflammationibus praepriis favet, aut certissime ad mentem *Ad. Schmidt* ²⁾ si quis cataractam capsularem cum bursa ichorem continente extrahendo tollere conatur; secundum *van Swieten*, si cataracta magna dura iridem nimis premens extrahitur; et *Janin* est opinionis, etiam a prolapsu humoris vitrei iridem excitari posse.

§ 7.

Nec minus ac operationes memoratae, omnia oculi vulnera, in cameram anteriorem vel in iridem penetrantia, iridem excitare solent; et quidem eo celerius et vehementius, quo major in aegro ad affectiones inflammatorias est opportunitas.

His iritidis idiopathicae aetiologiam absolutam esse credo; nam etsi *Ad. Schmidt* ³⁾ iridis inflammationem a solis meridiani vi exortam memorat, tamen symptoma ophthalmitidis internae proprie

1) Utor denominationibus etsi valde inconvenientibus, tamen in ophthalmologia notis.

2) Vid. Abhandlungen d. k. k. medicinisch chirurgischen Josephs - Academie. II. Bd. pag. 269.

3) Vid. Tractatum ejus de cataracta secundaria et iritide, libr. modo cit. pag. 264.

sic dictae, cum lux in iridem ipsam, ut *Fontanae* experimentis ¹⁾ scimus, non agat, fuisse videtur.

Iritidis idiopathicae phaenomena.

§ 8.

Iritidis idiopathicae phaenomena non semper eadem esse, sed quo ad vehementiam et extensionem diversimode modificari, jam ex tractatu celeb. *Ad. Schmidt* ²⁾, qui primus hanc inflammationem probare et illustrare conatus est, vel evidentissime colligitur. Neque phaenomena haec ita sejungi possunt, ut eorum certa certis et inter se bene distinctis stadiis tribuenda sint; attamen diagnoseos et therapiae gratia, duo, ut celeb. *Beer* fecit, discernere atque statuere stadia, magni esse putamus.

§ 9.

Dolor est, ut celeb. *Richter* ait ³⁾ omnis ophthalmiae signum principale. Etiam iritis idiopathica ex doloribus obtusis, continuo in oculi profundo prementibus initium ducit. Insequitur statim pupillae coarctatio aequalis, iridis immobilitas ⁴⁾, lucis impatientia et ex his omnibus visus decrementum, quod eodem modo augetur, quo iridis inflammatio crescit; nec non pupilla, quamvis adhuc forma gaudens circulari, levem jam oculum armatum haud latentem perpeti incipit obscurationem. Quo facto, phaenomenis enumeratis nunc

1) Vid. Felice Fontana dei moti dell' Irice Luc. 1765. 8.

2) Vid. loc. c. Ueber Nachstaar und Iritis.

3) Vid. A. G. Richters Anfangsgründe der Wundarzney. kuust Bd. III. §. 3.

4) Vid. Ophthalmologische Bibliothek III. Bd. I. St. pag. 178. ubi Ad. Schmidt his utitur verbis: Eine der allerersten Erscheinungen bei der Entzündung der Iris, ist das Erstarren der Bewegungen dieses fein beweglichen Gebildes.

iritidis symptoma associatur evidentissimum; scilicet, mutatus iridis color, quem caeruleum vel caesium virescere, fuscum in rubescentem transire videmus. Coloris ex inflammatione vehementiori mutationem mox excipit iridis intumescencia, qua membrana haec carbaso inflatae similis corneam petens, camerae anterioris spatium magis magisque angustius reddit. Quamquam oculi rubedo, primo durante stadio modica, et sclerotica vix colore roseo, corneae solummodo circumferentiam cingente, tincta est; nihilominus aeger sub finem hujus stadii, vehementissimos ad occiput usque transeuntes accusat dolores, nec non febris universali, sensorium commune praecipue afficiente, corripitur; et hoc quidem eo celerius et gravius, quo magis inflammatio ad interiores oculi partes propagatur.

Sin autem iritis ad membranas externas praecipue transitum facit, periculum non ita magnum est; maximum vero videris, si eodem tempore ad omnes oculi partes progreditur.

§ 10.

Ubi jam symptomata omnia pro inflammationis vehementia et decursus ratione, eum, de quo modo diximus, attigere gradum, stadii secundi principium statuimus. Crescit nunc oculi rubor et febris, vagantur dolores, deminuitur lucis impatientia, sed accedit photopsia excrucians; iridis margo pupillaris, etsi non amplius perspicuus, tamen huc usque rotundus, fit angularis. Ad marginem pupillae, praecipue vero in angulis ejusdem filamenta tenuia, a secretionem vasorum iridis male exorta, distincte conspiciuntur. His filamentis, si non tollitur arte secretio morbosa cum inde enatis concrementis albuminosis et fibrosis, fit cohaesio uveae inter et capsulam s. synechia posterior, neque non pupilla ex parte obturatur vel plane expletur, et aeger visu orbatur. — Quae nunc adduximus, cameram posteriorem magis spectant, sed sunt non minora, quae in anteriori observantur. Iris semper

fortius adversus corneam protruditur, a cornea obscurata obnubilatur, et ut inflammationem vehementiorem saepissime purulentatio sequi solet, sic et in iride puncta purulenta vel melius vomicae ex flavo rubescentes deteguntur, quae ruptionem tandem patientes hypopium verum gignunt. In debilibus nonnunquam cum pure sanguis effunditur, quae dein ambo spatia pupillae et camerae posterioris inter filamenta albuminosa et fibrosa ita explere solent, ut videndi facultas eo difficilius restitui possit. Post puris et sanguinis resorptionem in conspectum redit pupilla, angulosa, plus vel minus filamentis albuminosis et fibrosis obturata, et non raro nihil ac lucis perceptio revertitur. — Haec fere sunt symptomata et decursus iritidis idiopathicae in stadio secundo, si haec affectio inflammatoria non ultra partes iridi proximas, ut scleroticam, ligamentum ciliare, orbiculum ciliarem, capsulam lentemque procedit. Est haec iritidis idiopathicae modificatio, ut ego observavi, frequentissima.

Perditus vero visus ex toto est, si durante adhuc primo inflammationis stadio, haec choroideam, retinam et corpus vitreum penetrat; clauditur ex post pupilla, exstinguitur omnis lucis perceptio. — Alia dignoscuntur phaenomena, ubi iridis inflammatio maxime prorsus tendens, corneam praecipue afficit. Hoc in casu cornea valde obscuratur, intumescit et iris corneam tam prope accedit, ut ambae concrecant et staphyloma corneae totale oriatur; vel si hoc non fit, spatium iridem inter et corneam ita substantia albuminosa et fibrosa impletur, ut iris summam alienationem perpessa et pseudomembranis cum cornea conglutinata vix amplius conspici possit, corneaque convexitatem qua gaudet, amittat. Pessimum denique est, si iridis inflammatio modo exorta primumque nondum excedens stadium omnes jam bulbi compages aggreditur; quippe quae febrim haud cessantibus horripilationibus stipatam excitet; qua durante, ad primum stadii secundi momentum oculi rubedo mirum in modum

augetur, dolor fit pulsans, conjunctiva bulbi intumescit et madet sebo Meibomiano, cornea jam valde obscurata album nunc induens colorem tandem flavescit et ob magnam conjunctivae intumescientiam in fossa quasi conspicitur. His phaenomenis sese evolventibus aeger vehementer prementem in oculo tensionem, nec non frigus inamoenum orbitam quasi circumdans accusat, quibus symptomatis ad sensum doloris intollerabilis crescentibus, denique [bulbus cum crepitu rumpitur et pus sanguini mixtum, nec non rudera lentis, corporis vitrei etc. cum levamine evacuantur. — Quamquam haec terminatio tristissima esse videtur, experientia nihilominus constat, hanc inflammationem malo sub tractamine vel potentiis nocivis, in gangraenam, sphacelum et ipsam mortem transire posse. —

Facta iridis idiopathicae descriptione, facile intelliges, quatuor hujus inflammationis esse modificationes, quas, utut celeberrimus *Beer*, moderator optimus, praelectionibus eas exponens maximam partem in aegris, quorum per annos duos et quod excedit, haud paucos mihi examinare licebat, probavit, breviter illustrare studui.

Iritidis idiopathicae prognosis.

§ 11.

Iritidis idiopathicae prognosis a quatuor momentis nobis maxime dependere videtur; videlicet ab oculi conditione ante laesionem, a laesionis natura, ab insequentis inflammationis stadio, et denique a symptomatum quantitate et qualitate, seu quod idem est, ab inflammationis modificatione. — Oculus jam praecedentibus debilitatus morbis semper ex accedente nova inflammatione, sit qualiscunque, magis periclitatur et facillime perditur. Neque certi quid polliceri fas est in iritide traumatica, ubi iridem laceratam et extravasatum conspicientes, nescimus quo usque corpus laedens pe-

nettarit. In his casibus celeb. *Beer* cautissimum se prae-buit semper auditoribus.

Quod stadia attinet, in primo iritidis stadio prognosin persaepe faustam statuere possumus; sed necesse est, inflammationem recte dignoscamus et bene tractemus; nam justo tractamine non raro vehementiora iritidis symptomata durante primo stadio feliciter debellantur. Attamen est quod timeas, quando iritis ophthalmitidis internae proprie sic dictae imaginem prae se ferre incipit, aut si inflammatio totum bulbum repente corripere minatur. Hic jam non amplius de visus restitutione, sed de oculi formae conservatione agitur.

§ 12.

Medicus iritidem idiopathicam in secundo stadio versantem inveniens, mutationum in oculo factarum et ab inflammationis violentia dependentium praepremis rationem habebit, si prognosin statuere conatur. Nam etsi in genere prognosis in stadio secundo tristior sit ac in primo, tamen iritis idiopathica nonnunquam tam levis est, ut praeter coloris in iridis annulo pupillari mutationem, pupillam filamentis ex substantia albuminosa et fibrosa coagulatis, vix sensibili modo obnubilatam et visus diminutionem modicam, nulla symptomata morbosa deprehendantur. Quare et prognosin in tali statu, cum morbus arte adhuc ex toto tolli possit, utcunque jucundam pronuntiare non dubitamus. Sed tristius aegro praesagium ab iridis omnis colore mutato et a pupilla filamentis coagulatis distincte obscurata, oritur; cum visus tali ratione admodum impeditus nunquam arte ad pristinam integritatem, qua patiens gavisus est, reduci possit etiamque pupilla angulosa evadere soleat. Nihilominus videndi facultas in tantum restitui potest, ut ad scribendum et talia adhuc sufficiat. Sin autem pupilla valde coarctata, angulosa et ita filamentis albuminosis et fibrosis obturata est, ut aeger nihil aliud nisi corporum volumina discernere valeat, tunc a redeunte

visu non nisi per pupillae artificialis formationem sperare possumus. Dicimus sperare, cum exitum hujus operationis ancipitem, saepe eundem esse ac illum, quem tollere studemus, observemus. Ubi in iride punctum purulentum animadvertitur, iridis color alienatus manet; quo autem plura conspiciuntur, eo magis iris destruitur et quando rumpuntur, cameras ita pure implent, ut propterea quamvis magna pars, praecipue in camera anteriori absorbeat et lucis perceptio aliquantula redeat, fere nullo modo recuperatio visus possibilis sit. —

Iridis vero inflammatio sub ultimum jam stadii primi momentum vel ad corneam maxime progrediens, iridem ad corneam protrudens vel adeo in ophthalmidem internam proprie sic dictam evadens, visui est, ut sat ex symptomatologia patet, infestissima. In casu primo, visus loco ferendam oculi formam conservari sufficit; in secundo, medicus bulbum destructioni eripiens laudandus videtur.

Iritidis idiopathicae therapia.

§ 13

Ut in omni inflammatione, sic in iritide idiopathica, therapia inflammationis stadiis, vehementiae et singulari modificationi, quantum fieri potest, accomodari debet. Medicus statim post laesionem iridis vocatus, eam laceratam fortasse neque non partem ejusdem corneae in vulnere inveniens haerentem, hanc, ne synechia anterior magna et turpi cum cicatrice ob impeditam iridis recessionem oriat, sine mora abscindat. Quod in primi stadii decursu ipsam jam attinet iridis inflammationem, scire licet in leviori tarde ad alias bulbi partes progrediente, pauca sufficere medicamenta. Nam facta lucis detractioe denegatoque oculi usu, praeter fomentationes ex aqua frigida vel oxycrato et hirudines ad palpebram inferiorem adpositas, vix alia antiphlogistica necessaria erunt. Fortiorem

vero adhibueris medendi rationem, ubi cum inflammatione sub doloribus vehementioribus celeriter sese evolvente et statim iridis expansionem et alienationem excitante, febris synochalis gignitur.

Hic venaesectiones fieri et cum nitro ¹⁾ potiones refrigerantes porrigi debent. De remediis vero localibus instillatio solutionis hyoscyami secundum experientiam *Ad. Schmidt* ²⁾ maxime proderit. Ad methodum tandem summe antiphlogisticam statim transeundum est, quando iritis idiopathica in ophthalmitidem internam proprie sic dictam vertitur, vel omnes oculi partes cum aequali corripit vehementia. Hoc in casu detractionibus sanguinis universalibus, praecipue in pede, topicae sunt addendae; immo ubi phrenitis timenda, ex vena jugulari sanguis mittatur ³⁾, neque scarificationes inflammationem haud parum deminuentes ⁴⁾ si ob intumescientiam conjunctivae fieri possunt, negligendas putamus. His medicaminibus externis fomentationes antiphlogisticas jungi non plane inutile videtur. Sed haec medendi ratio remediis internis praepriis adjuvatur, ut laxantibus, purgantibus, nec non hydrargyro muriatico miti ad doses fortiores, quae omnia utilitatem maximam adferent.

Sub finem stadii primi in iritide idiopathica vehementiori, medicus uni prae ceteris phaenomeno, quod celeb *Beer* semper maxime veritus est, advertat animum; scilicet iridis ad corneam appropinquationi. Hanc appropinquationem vel facillime, ut jam § 10. diximus concretio corneam inter

1) Vid. Richter's Anfangsgr. d. W. III. Th. § 30. und Boerhaavens Abh. v. den Augen. § 62.

2) Ophthalmologische Bibliothek III. Bd. I. St. pag. 178.

3) 1. Vid. The modern practice of Physic, by Robert Thomas. London, 1813. pag. 105.

2. Beers Lehre v. d. Augenkrankh. § 384.

4) Vid. libr. c. by Thomas inflammation of the eye p. 100.

et iridem sequitur, quam iterum corneae staphyloma totale excipit. Est autem medici evolutionem talis metamorphoseos, quae turpissima periculosissimaque non nisi cultello tolli potest, omnibus quibus ars pollet viribus impedire. Hoc vero solummodo fiet, si medentes effectibus inflammationis, eam ipsam in partibus bulbi anterioribus adaugemus. Nam inflammatione aucta, etiam vasa iridis, corporis ciliaris etc humorem aqueum exhalantia, destruntur et sic eodem tempore materia ad staphylomatis formationem deletur. Inflammationis adaugendae gratia tinctura opii simplex vel crocata, semel, bis terve pro sensibilitate aegri, ope parvi penicilli oculo inflammato ad corneae circumferentiam illinenda est. Si hoc tractamine, dolor epiphora, rubor et intumescencia conjunctivae prope corneam incrementum capiunt, finem assecuturi videmur. Ubi autem symptomata haec vix crescunt vel aucta mox iterum deminuuntur, fortiora illiniri debent remedia, ut aether sulphuricus et mixtura oleoso-balsamica v. balsamus vitae Hoffmanni. His medicamentis nihilominus ut prudenter utaris suademus, ne inflammatione nimis excitata bulbus ipse destruat, sed, quod optamus, in superficie anteriori applanetur. Hic modus agendi, periculosus vel immo crudelis videri posset, si quod commendavimus tractamen ad stadium secundum differre aut a visu redeunte sperare liceret.

§ 14.

Quum in stadio secundo iritidis idiopathicae quatuor hae modificationes inflammatoriae, quas in symptomalogia explanavimus, jam sint evolutae, melius quoque determinari potest, utrum visum adhuc restituendum an saltem bulbum conservandum spectemus. Visus jam natura ipsa in stadio secundo ad plenam restituitur integritatem, si inflammatio levis et primo durante stadio bene tractata fuerit. In tali casu, cum incipiente stadio se-

eundo, omnes influxus consuetos, ut lucem, aërem liberum, oculi usum etc. denuo concedere sufficit. Ubi vero ab inflammatione vehementiori, pupilla pertinaciter angustata, angulosa et filamenta albuminosa et fibrosa in camera posteriori cum visu hinc valde debilitato observantur, quae omnia cum recedente inflammatione non disparent; medicamina solventia irritantibus et tonicis juncta in usum vocanda neque non interne et externe adhibenda sunt. Inter remedia quae laudantur, hydrargyrum primum occupat locum. Externe applicatio solutionis hydrargyri muriatici corrosivi cum tinctura opii crocata oculo expedit.

Eodem jure unguentum hydrargiri rubrum cum opio semel de die oculo illinitum vel etiam unguentum hydrargyri cinereum, supercilii regioni infrictum commendantur. Interne maxima cum utilitate hydrargyrum muriaticum mite cum opio, infusum arnicae, angelicae, calami aromatici, nec non, si magna debilitas adest, decoctum chinae porrigi potest. Crebro praeter exsudationes lymphaticas adhuc puris et nonnunquam eodem tempore sanguinis modicas videmus effusiones, quae ubi observantur, quam celerrime resorptione tollantur, necesse est. Hunc in finem fomenta sicca, interdum aromatica ad oculum, epispastica pone auriculam et ad tempora, tinctura opii vel simplex vel crocata bis terve oculo per diem illinita, optime agunt. Remediis his externis interna, ut infusum calami aromatici cum opio, spiritu sulphurico-aethereo et talibus bono cum effectum junguntur. Adnotari nihilominus debet, visum sub enumeratis phaenomenis, quamvis commendata egregie proficiant medicamina, rarissime ad integritatem reduci posse.

Formam solummodo ferendam conservare studemus, si iridis inflammatio corneam praeprimis petit; quo modo, jam supra explicuimus. — De sola conservanda oculi forma non minus agitur in iritide, quae jam in primo stadio vel in ophthalmitidem internam proprie sic dictam transit, vel omnes

oculi partes cum vehementia corripuit. Nam talem inflammationem tam violenta sequitur suppuration, ut bulbum totum destruat nisi arte refrenatur. Refrenamus autem suppurationem, cum partim puris resorptionem augemus, partim suppurationem destruentem in producentem vertere conamur. Fit hoc ferme remediis, quae antea puris resorbendi causa proposuimus. Cataplasmata ex pomis calida, si cum diligentia administrantur, principio valde sunt utilia; attamen haec seponi debent, quando camera anterior pure est impleta; nunc ad fomenta sicca, tincturam opii, epispastica nec non pro usu interno ad excitantia et roborantia fortiora, ut ad aetherem sulphuricum, camphoram, opium et corticem peruvianum transitum facere cogimur. Omnibus his remediis bene administratis, interdum tamen accidit, ut pus corneam rumpere comminetur. Ubi hoc animadvertimus cornea, ne bulbus totus perdatur, sine mora lanceola apperienda est, ut emanet pus, quod si ob tenacitatem et crassitudinem emanare non potest, instillando infusum malvae fluidius reddi debet, et sic forsitan bulbum maximam partem conservare licebit.

Iritis syphilitica.

Genesis et modus evolutionis.

§. 15.

Omnis aeger lue venerea universali laborans facillime oculi inflammatione corripitur, quae, cum sub imagine iritidis propriis gaudentis symptomatis potissimum sese manifestet, iritis syphilitica vel ophthalmia syphilitica symptomata audit. Leniores jam oculum irritantes influxus, ut tempestatis vicissitudo, lux fortior, ventus vehemens, intentio oculi insueta etc. ophthalmiam hanc excitare solent. Sic et tophus in orbita irritatione perpetua hanc inflammationem gignere potest, ut illustr. Pet.

Frank ¹⁾ memorat. Sed non semper phaenomenis eisdem et pari evolvitur celeritate. Differentia haec maxime ab aegrorum diversitate dependet. Nam inflammatio, de qua agimus, ab initio iritidis syphiliticae characterem prae se fert, hinc sine ulla difficultate dignoscitur in iis, quos dyscrasia venerea, ut ita dicam, ex omni parte penetravit. Hanc iritidis syphiliticae varietatem, quae celerrime progreditur et luis universalis signum est certissimum, celeb. Beer, iritidis syphiliticae primariae nomine designat. Differt ab illa, quae iisdem potentiis nocivis orta primo indolis catarrhalis, rheumaticae, scrophulosae vel traumaticae etc. videtur, sed non ita multo post iritidis syphiliticae induit formam, quapropter secundaria dicitur. Talis hujus inflammationis evolutio, in patientibus characterem syphilitico non plane extincto vel syphilide universali nunc oriente laborantibus, observatur. Est tandem tertia iritidis syphiliticae varietas, quae syphilide cum aliis morbis specificis mixta, gignitur, et cujus diagnosi ut et praecedentis haud parva praemittitur difficultate.

Iritidis syphiliticae imago paucis depicta.

§ 16.

In iritide syphilitica sic dicta primaria phaenomena phaenomenis premuntur. Eodem propemodum tempore, quo cornea misso naturali splendore, hebetationem et aequalem obnubilationem perpetuens, in tota turgescit circumferentia; rubedo in sclerotica levis, annuli lati instar corneam cingens, intime cum ea cohaerens et circumferentiam versus bulbi evanescens, conspicitur. Scleroticae ruborem pallidum sensim rete vasorum conjunctivae rubescentis, circulum

¹⁾ Frank de curandis hominum morbis epitome. II. Vol. pag. 78.

culum ad corneam quasi formans, tegere incipit; nihilominus vero scleroticae rubedo semper transspiciens cognosci potest. Phaenomenis his sese evolventibus, iris mobilitatem amittit, pupilla magis magisque coarctata fit angulosa et praecipue, quod est signum fere characteristicum, versus angulum oculi internum et sursum trahitur. Neque non iridis color, ut in omni iritide fieri solet, mutatur, primo in circulo minori, dein in circulo majori; sequitur coloris mutationem iridis intumescencia et ad corneam adcessus. Cum incipiente iridis metamorphosi incedit photophobia ad vesperam crescens et larga lacrymarum secretio, quae eo copiosior est, si fortasse iritis syphilitica ab ophthalmia catarthali v. rheumatica originem trahit. His omnibus praegressis, symptoma ophthalmiae syphiliticae internae manifestissimum oritur; scilicet dolores syphilitici, regionem supraorbitalem praecipue occupantes, initium sumunt. Est doloribus his proprium hoc, cum incremento omnium inflammationis symptomatum, prima nocte intrare, sub mediam usque increcere, et ad horam matutinam quartam et quod excedit perdurare. Simulac aeger dolores modo descriptos accusat, auxilium in propinquo sit, necesse est; alias visus in omne tempus exstinguitur. Nam sub quaque a doloribus his facta exacerbatione, pupilla fit angulosior et semper magis magisque exsudationibus lymphaticis obscurata ad finem obturatur. Iris formam convexam accipit, humor aqueus turbatus deminuitur, cornea pure tegitur et aeger visu privatur. Arte non interveniente, in iritide syphilitica primaria his phaenomenis tandem periculosiora associantur, ut excrescentiae in minori vel majori iridis circulo condylomatosae, quae colore subrubicundo vel latericio gaudentes et cum celeritate crescentes iridem reprimunt corneamque tendunt.

Nonnunquam cornea ipsa in ulcera lardosa degenerat, nec non gummata vel topi ad orbitae marginem oriri solent. — Secundum dyscrasias diversas, quibus syphilis crebro jungitur, iridis sy-

philiticae symptomata et decursum variare, omnes facile intelligunt. Phaenomenis tristissimis rapido pede sese excipientibus, iritis syphilitico-scorbutica stipatur. Non ita vehemens et hinc minus periculosa est iridis inflammatio syphilitica, quae cum ophthalmia catarrhali, rheumatica, scrophulosa, arthritica etc. juncta, observatur. Conjunctio talis ex mixtione symptomatum unicuique harum ophthalmiarum propriorum cognoscitur, quamquam semper phaenomena unius alteriusve inflammationis modo magis modo minus praevalent.

Iritidis syphiliticae prognosis.

§ 17.

Quo certior medicus de iritidis syphiliticae exitu fieri cupit, eo accuratius eum hujus inflammationis vehementiam, evolutionis gradum, complicationem aegrique constitutionem universalem explorare oportet; ut non solummodo quanta et qualis sit oculi inflammatio, sed aeque bene, quid medicaminum aeger ferre possit, sciat. Namque ut in omni morbo syphilitico, sic in hoc hydrargyrum est remedium longe praestantissimum et prope unicum. Quum vero, quod in paragrapho praecedente diximus, iritidis syphiliticae decursus sit celerrimus, patiens, ne visus perdatur, efficacissima hydrargyri praeparata et magnas ejusdem sumat doses, est necesse. Patet inde, aegrum, mercurialia omnino non ferentem, in summo periculo versari et a visus conservatione sperare non posse. Quod autem prognoseos gratia inflammationem iridis ipsam et ejus effectus spectat, ad pupillam maxime respiciendum est. Ubi haec nondum exsudationibus lymphaticis multum obnubilata et angulosa adparet et patiens non nisi de visus debilitatione modica conqueritur, spem ostendere optimam licet. Nihilominus notari debet, quod iritide optime sanata, semper tamen magna oculi sensibilitas remaneat, quae tanta est, ut oculus tempore frigido et humido modice ru-

bescat, cum photophobia levi lacrymarum largior sequatur secretio, neque non, temperatura subito mutata, circulus circa corneam violaceus in conspectum veniat. Ultimum hoc praecedentis inflammationis signum secundum observationem celeb. Beer anno amplius remanere solet. — Praesagium multo tristius a pupilla filamentis albuminosis et fibrosis clausa et a visu plane deleto oritur; cum, ubi haec jam adsunt symptomata, magno artis impendio opus sit, ut visus ad corporum majorum distinctionem sufficiens, reducatur. Dictis nunc superflui quid addere videmur declarantes, visum in perpetuum esse deletum, si condylomata iridis, ulcera corneae lardosa vel immo gummata et tophi ad orbitam observantur; tali in casu sola lucis perceptio et quidem rarissime revertitur. Saepe pupilla, ex omni parte exsudationibus materiae lymphaticae, clausa, iris ferme destructa, synchysis, neque minima erga lucem sensibilitas, ut iritidis syphiliticae vestigia deprehendi possunt. Quare cum tanti sit morbus et propriae medicus securitatis et patientis obedientiae causa, periculum maximum praesagire non negligat.

Iritidis syphiliticae therapia.

§ 18.

Mederi qui vult iritidi syphiliticae, bene secum reputet, esse morbum localem peracutum, dependentem a dyscrasia universali. Et nos therapiam nunc exhibentes, nec non sententiae modo relatae insistentes duplici medendi rationi satisfacere conabimur. Scimus enim iritidem veneream, syphilide non extincta, mitigari quidem sed propulsari non posse; eodem vero tempore nos non latet, visum, si vehemens est inflammatio, sub usu remediorum luem universalem unice spectantium, brevi deleri. Quare praeter remedia interna, topica quam plurimum commendamus. — Iritis syphilitica characteris hypersthenici cum synocha, quod

quidem raro accidit, antiphlogisticis utcunque frangatur suademus; sanatio autem plena et radicalis non nisi antisyphiliticis et maxime hydrargyro, cui inniti debemus, ut *Thomas* ornate dicit¹⁾, effici potest. Inter symptomata iritidis syphiliticae priora, dolores characteristici vespere intrantes prae ceteris, ut ex § 16. sat elucet, sunt verendi et mitigandi, ne lucis aditus irreparabilis claudatur. Doloribus his propellendis unguentum hydrargyri cinereum, pisi macerati magnitudine cum grano dimidio vel uno opii regioni supercilii infrictum, et splenia lintea calefacta ter quaterve complicata ad tegendam frontem optime inserviunt. Quando dolores iterum incrementum capiunt, infrictio noctu repetenda et tam diu ac dolores revertuntur et in destruendas lymphaticas exsudationes agit, est continuanda. Alia remedia localia oculus in principio non fert. Symptomaticam vero hanc curam, radicalis, quantum fieri potest, adjuvare debet. Hunc in finem hydrargyrum muriaticum corrosivum, debili aegri constitutione non obstante, praeprimis et jure laudatur. Porrigitur in pilulis cum opio, et ubi forma haec nimis laedit, celeb. *Beer* idem remedium aethere sulphurico solutum opioque adjutum bono cum successu, ut ipse haud raro vidi, administravit. Anne praeparatum hoc aequali cum effectu et fortasse melius in aqua solutum cum opii tinctura dari possit, dirimere non audeo. Aliud hydrargyri praeparatum in nonnullis casibus priori praeferendum, est hydrargyrum muriaticum mite, cujus cum opio conjunctio admodum convenire videtur. Ceterum secundum morbi complicationem et aegri dispositionem judicandum erit, anne etiam alia medicamina v. g. diaphoretica, excitantia, roborantia in usum vocanda sint. Quam primum vero oculi inflammati irritabilitas nimia,

1) Vid. *The mod. pract. of physic*, by R. Thomas, pag. 108. *If ophthalmia is dependent of a venereal taint, mercury is the remedy we must rely on to remove it.*

photophobia et epiphora nonnihil recedunt, pluribus adhuc remediis topicis uti haud parum juvat. Inde in hoc iritidis syphiliticae momento, celeb. Beer collyrium constans solutione hydrargyri corrosivi sine mucilagine cum tinctura opii crocata, non absque utilitate ministrat. Celeb. Richter in eundem finem unciam mercurii gummosi in libra lactis solutam ¹⁾ laudat. Tale autem collyrium semper ob persistentem oculi sensibilitatem auctam, blandissimum sit; quam ob rem hydrargyri muriatici corrosivi vix plus grani quantitate in aquae destillatae unciiis quatuor solveris. —

Tandem sensibilitate jam magis recedente unguentum hydrargyri rubrum ad debellanda inflammationis rudera praecipue efficax videtur. Contra ulcera ichore scatentia solutionem cupri aluminati sine hydrargyro muriatico corrosivo tepidam, vel infusum scordii cum calcaria sulphurata commendamus. Corneae post ophthalmiam evanitam obscuratio vel unguento hydrargyri rubro cum tutia vel etiam circumcisione, qua lamella suprema exfoliatur, est delenda. Gummata tophive non nisi cura longiori et ad summum antisiphilitica tollantur.

Iritis arthritica.

Genesis et divisio.

§ 19.

Est similitudo iritidem arthriticam inter et syphiliticam tam magna, ut omnia, quae § 15. de genesi et evolutione iritidis syphiliticae attulimus, aequo jure de inflammatione iridis arthritica dici possint. Nam eadem potentiae nocivae in aegris vel arthritide manifesta vel latente laborantibus arthriticam gignere solent iritidem, quae secundum

1) Vid. Richter's Anfangsgr. der W., III. Bd. § 54.

evolutionis modum et mixtionem, in primariam, secundariam et complicatam dividitur. Has iritidis arthriticae varietates ut arthritis ipsa ¹⁾ etiam quoad decursum inter se discrepare, nemo non intelligit.

Iritidis arthriticae symptomatologia.

§ 20.

Inter symptomata iritidem arthriticam exhibentia, unum ceteris potissimum praegredi, crebro observatur. Aeger nimirum per tempus aliquod pruritum in fronte, praecipue ad supercilium, transcursum vel reptationi insectorum animalium simile persentit, usque iritis tandem ipsa, pluribus sese manifestare incipit phaenomenis. Primo pruritus modo descriptus in manifestum et vehementem degenerat dolorem, qui haud commorans in fronte, statim tempus et maxillas unius lateris (uno scilicet oculo solummodo inflammato) adgrediens, ad collum interdum scapulamque extenditur. Non ita multo post ad margines palpebrarum praeprimis vero in angulis oculi, spuma tenuis albicans conspicitur; defluunt lacrymae copiosiores, acres, immo genas arrodentes, neque lucis excrucians deest impatientia. Sclerotica eodem tempore ad totam corneae circumferentiam rubescit, rubedo autem rete vasorum tenue formans corneam ipsam non tangit, sed potius annulo ex caeruleo-albescente quasi interposito ab hac separatur. Quam primum et conjunctiva rubrum induit colorem, annulus ille caeruleus distinctius cognoscitur; scleroticae vero rubor lividus ferme fit, quo magis conjunctivae vasa varicosa evadunt. Quo facto, sub doloribus vagantibus culcitarum plumeorum usu et repentina aëris vicissitudine auctis, nunc inflammationis phaenomena in iride ipsa in conspectum veniunt. Cum

1) Vid. Richter's Anfangsgr. d. Wundarzn. III. Th. § 69.

autem phaenomena in iritide arthritica, praecipuis quo ad partes bulbi interiores, in omnibus aegris non eadem esse sed secundum constitutionem et temperamentum inter se differre, videamus, differentiae hujus rationem habebimus.

Omnes fere iridis mutationes, quas iritidem idiopathicam describentes, adnotavimus, in iritide arthritica iterum deprehenduntur, si haec inflammatio, sensibiles, graciles, fibris rigidis corripit praeditos. In his, iridis expansionem, immobilitatem, colorem primo in annulo minori dein in majori mutatum, pupillam coarctatam obscuratam et angulosam, tamen in media iride manentem, observare licet. Sed deesset praeter annulum caeruleum supra depictum, signum characteristicum, nisi post perfectam phaenomenorum modo enumeratorum evolutionem, iridis vasa semper magis magisque intumescencia et partim varicosa, inflammationis naturam probarent. Distensio horum vasorum interdum ita augetur, ut denique rupta cameram anteriorem sanguine impleant. Ubi hoc non fit, in camera posteriori nunc exsudationes lymphaticae dignosci possunt, quae cum omni dolorum exacerbatione et sub febris universali crescentes, pupillam ex toto obturant adeoque demum lucis perceptionem tollunt. Quibus factis oculus medico non impediens, atrophia laborare incipiens, sub doloribus cessantibus de die in diem magis introrsus retrahitur, nec non oculus alter huc usque forsitan integritate gaudens, eodem modo corripitur.

Alia iris inflammata sistit phaenomena in inertibus, obesis sensibilitate parva praeditis. In his iris ad momentum supra designatum neutiquam expanditur, sed potius sub intumescencia, immobilitate et colore alienato contrahitur. Est autem contractio talis, ut pupilla formam circularem amittens, mediam quasi angulosam inter et ovalem, animalium ruminantium pupillae nonnihil similem induat faciem; id est, in qua diameter horizontalis longior est perpendiculari. Angulum oculi externum versus iris paene evanescit et margo pupilla-

ris ad lentem paulatim adeo reflectitur, ut annulus minor plane dispareat. Eodem tempore corpus vitreum cum doloribus semper magis persistentibus et in vehementiam summam auctis, mixtionem a naturali prorsus alienam perpetuens in oculo profundo colorem per pupillam ampliata[m] offert ex viridi glaucum, unde quoque metamorphosis haec glaucomatis nomine venit. Paulo post et lens obscurata, intumescens quasi cameramque anteriorem magis petens viridi potitur colore, quo fit, ut cataracta sic dicta viridis in conspectum veniat. Vasa porro in omnibus oculi membranis ita varicosa redundantur, ut sclerotica varices corneam coronae instar cingentes, offerat. Visus phaenomenorum emergentium ratione continuo decrescens nunc perfecte est extinctus; et photopsia, qua aeger, adhuc de redeunte visu sperans, gaudet non nisi vasorum distensorum oscillatione et hinc facta retinae irritatione efficitur. Ubi demum ad hunc perventum est gradum, bulbus vitae quasi expers ob conceptam atrophiam rapido pede in orbitam recedere solet; et corneae, progrediente oculi consumptione, mutatae rudera, ad orbitae fundum regressa palpebris obteguntur. Silent nunc denique saevi dolores vel statim ad alterum transeunt capitis latus, nec non oculus sanus pari affligitur modo, quo facto, vel glaucoma evolvitur vel bulbus ex toto ad descriptionem modo exhibitam consumitur.

P r o g n o s i s.

§. 21.

Symptomatologia paulo attentius perspecta, clarissime elucet, iritidem arthriticam esse inflammationem haud parum periculosam. Augetur ejusdem malignitas eodem gradu, quo arthritis universalis est emersa; et cum character arthriticus vel omnino non vel saltem post curam longiorem extinguere possit, iritis arthritica vix debellata post minimam irritationem oculo, quam medicus impedire nequit, illatam, majori cum violentia reverti-

tur. Hinc prognosis semper anceps, et immo tristissima est, ubi inflammatio altiore jam attingit gradum; aut si aeger potentias nocivas evitare non potest, vel quod aequè frequenter invenitur, his carere nolit. Respecta iritide arthritica laborantium, constitutione, prognosin in gracilibus et sensibilibus jucundiorē ac in obesis et inertibus statuere possumus. Nam in prioribus inflammatio minus extensa magis partes bulbi anteriores occupat, in pinguibus vero fibra laxa praeditis, corpus vitreum et lens quoad mixtionem celerrime et occulte quasi afficiuntur totaque oculi organica dispositio arthritide irrevocabilis mutatur. Hoc etiam vel inde colligi potest, quod oculus, si tantum minima glaucomatis observantur vestigia, probissimo utcunque tractamine, ad integritatem reduci nequeat; conservatur solummodo visus admodum debilitatus, neque non pupillam nimis dilatatam, angulosam, iridis tarditatem et vasa conjunctivae justo majora invenies. Quid oculo uno perfecte perduto praesagiendum vel ad minimum timendum sit, phaenomenologiam pertractantes, jam adnotavimus.

Iritidis arthriticae therapia.

§ 22.

Celeberrimus *Richter* ophthalmiae arthriticae therapiam edocens, ait ¹⁾; Ophthalmia arthritica, ut affectio arthritica in alia parte, tractatur. Hoc quidem in genere verum est. Cum autem in iritide arthritica ob organi affecti dignitatem et tenebritatem, tum ob rapidum hujus inflammationis periculum in mora sit, curae symptomaticae, ne visus celerius ac medicamina agant, perdatur, magis quam in pluribus aliis affectionibus arthriticis inniti debemus. Plurimum verc,

1) Vid. *Richter's Anfangsgr. d. W. III. Th. §. 70.*

dolores arthritici verendi et propellendi sunt, cum unaquaqueque dolorum exacerbatio in gracilibus et teneris pupillae coarctationem excretionisque lymphaticas, in inertibus autem et obesis mixtionem humorum pravam et vasorum distensionem adaugeat et visus recuperandi spem praecidat. In dolores suppressivos opium purum, cujus granum cum aegri saliva in formam linimenti redactum, regioni supraorbitali infricabis, optime agit. Eidem consilio et linimentum ammoniatum cum tinctura opii servit. Sed infrictiones hae sunt repetendae donec levamen sequi coeperit; et aeger eodem tempore omnes potentias nocivas, ut calorem nimium frigusve, animi motus vehementes, vel in ulla re modum excedere summe fugiat, necesse est. Haec non sufficere, praecipue exacerbationibus facillime revertentibus, omnis medicinae peritus intelligit; quare quam celerrime arthritidi universali mederi incipiendum est. An ab initio antiphlogistica, purgantia, diaphoretica fortiora vel leniora sint adhibenda, arthritidis character aegrique constitutio tutissime docebunt. Maxime in sensibilibus magna incitabilitate praeditis cavendum est, ne medicaminibus irritantibus inflammatio augeatur et majus oculo paretur periculum. His laxantia, diaphoretica leniora porrigere et ad oculum ipsum lintea calefacta applicare sufficiet; contra inertibus et corporibus frigidis diaphoretica fortiora, ut antimonialia, guajacum, aconitum, liquor antiarthriticus Elleri etc interne et sacculi ex herbis aromaticis cum camphora ad oculum, utilitatem omnino adferent. Remediis externis longe efficacissimis, derivantia, testibus *Richter* et *Beer*¹⁾ viris celeberrimis, sunt adnumeranda, quibus periculum citissime et longiori tempore imminui solet. Quam ob rem vesicantia, applicationem corticis mezerei, fonticulum, aut secundum experientiam celeb. *Beer*

[1) Vid. 1. *Richter's Anfangsgr. d. W.*, III. Th. § 70.

2. *Beer's Lehre v. d. Augenkr.* pag. 587.

infrictiones unguenti tartari stibiati ad nucham, et si majus est periculum retro auriculam commendamus. Quodsi inflammatione fugata, arthritideque, quantum fieri potuit, deleta, aliqua visus difficultas propter exsudationes lymphaticas, in pupilla et camera posteriori, factas, remaneat: eam frequenti lotione ex hydrargyro muriatico corrosivo in aqua soluto cum tinctura opii parata, vel instillatione solutionis hyoscyami aut belladonnae forsitan non incassum emendare conabere. Contra pupillam ex omni parte lymphâ coagulata clausam, vel glaucoma evolutum visus reparandi gratia quid moliri, inutile, immo periculosum nobis videtur.

Iritis quae ab alia ophthalmia, ad iridem usque progrediente, oritur; seu iritis improprie sic dicta.

§ 23.

Iritis idiopathica semper in iride ipsa evolvitur; iritis syphilitica et arthritica crebro quoque sunt primariae, et ambae proprio sunt caractere; inde tres hae iridis inflammatae species a nobis jam pertractatae, jure iritidis nomine potiuntur. Est autem etiam iritis, quae alias tantummodo ophthalmias quasi symptoma sequitur et propterea iritis improprie sic dicta nobis vocatur. Haec iridis inflammatio ad finem stadii primi ophthalmidis externae vehementioris seu chemoseos observatur, neque minus ophthalmidem internam proprie sic dictam, quam celerrime, ut per se intelligitur, excipit. Rarius ophthalmidis rheumatica ad iridem usque procedit; ut et ophthalmiae contagiosae, qualis variolosa, morbillosa et scarlatinosa, iridem non facile corripunt, nisi in aegris ex dyscrasia laborantibus, quod jam § 3. breviter animadvertimus, gignuntur. Saepe vero ophthalmia externa scrophulosa in sensibilibus, gracilibus, ingenii acumine praeditis, iridem aggreditur; quod rarissime fit in inertibus fibra laxa constitutis et solummodo

si ophthalmia haec male tractatur. Ophthalmia tandem scorbutica universalis iridem mox afficit, quod ex repentina iridis intumescencia, vasis ejus valde varicosis et margine pupillari haud perspicuo cognoscitur. — Diagnosis iritidis omnis improprie sic dictae ex notis iridis inflammatae phaenomenis sine difficultate eruitur. Pronosin propriam ut et therapiam peculiarem non habet, ast prognosin inflammationis, cujus symptoma est, tristiores et therapiam difficiliorem reddit.

§ 24.

Superest, ut memoremus nos alias adhuc iridis inflammationes primarias, peculiaris forsitan indolis, praecipuis post impetigines imprudenter suppressas occurrere, opinari; licet earundem exper. praeceptor nunquam mentionem fecerit, neque experientia propria nitentes rem defendere possimus. Attamen in opinionis gratiam nonnulla adferenda esse videntur. Quare sit venia, ut pauca quae *Guerin*, *Richter* et *Ad. Schmidt* huic fini inservientia nobis offerunt, adnotemus. *Guerin* refert ¹⁾, coarctationem pupillae, ab herpete prope auriculam dextram imprudenter supresso, ortam fuisse, quam vero venaesectiones, balnea et vesicantia retro auriculam eandem brevi fugassent, cum ichorem herpeticum, ut explicat rem, ad partem prius adfectam revocarent et iridem ab eo correptam liberarent. *Celeb. Richter* enarrat ²⁾ eandem iridis affectionem, ex capitis impetigine incaute sanata factam esse; et ingenios. *Ad. Schmidt* ³⁾ censet ex cutis efflorescentiis laborantes praecipuam ad iridem habere dispositionem. Opinioni nostrae relatis et aliis rationibus, quas exponere longum esset, superstructae tamen non ita inhaeremus, quin argumentis melioribus cedamus.

1) Vid. *Traité sur les maladies des yeux* pr. Mr. *Guerin*. A Lyon, 1769. pag. 232.

2) Vid. *Richter's Anfangsgr. d. Wundarzn.* III. Th. § 367.

3) Vid. *Schmidt über Nachstaar und Iritis* § 17. litt. g.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
BEROLINENSIS
A D I E C T U M.

Ego Georgius Antonius Hirschfelder, Silesius Modlaviensis, in gymnasio Mega-Glogoviae adhuc florenti ducibus semper colendis professoribus, Titz, Gärtner, Büttner, Gremm, Veit, Ender, Stanjeck, Klamm et rectore Lange annis sex humaniora absolvi. Maturitatem adeptus in Universitate Vratislaviensi per annos duos philosophicis operam navavi studiis. — Anno 1810 ad medica jam transiurus studia per hyemem anatomiae practicae duce Cel. Hagen operam tribui. Sub finem hujus anni Viennam profectus cursum medico-chirurgicum in Academia Josephina biennio peregi. In Academia hacce tum temporis Cel. de Scherer de anatomia et physiologia; Clar. Raimann de pathologia et therapia generali; Guilelmum Schmidt de arte obstetricia et medicina forensi; Zimmermann de chemia et phytologia audiui; nec non praelectionibus clinicis Castellizii ut et illis Cel. Zang de chirurgia interfui. — Subsequentibus annis Jacquinium chemiam docentem et diversa in nosocomio Viennensi frequentavi clinica. Interfui praelectionibus medico-clinicis Cel. ab Hildenbrand et chirurgico-clinicis Kernii. Sic et ordinationibus chirurgicis Exp. Rust, nec non ordinationibus medicis Clar.

Schiffner sum gavisus. Praelectionibus de re ophthalmica Cel. Beer fruens, in clinico ejus ophthalmiatrico plures curavi aegros. Operationum ophthalmiatricarum, lectionum de oculi humani anatomia et ordinationum privatarum quoque particeps fui. Tandem cursui operationum chirurgicarum Cel. Zang adsedi et ipse plures in cadavere institui. Nunc redux in patriam Universitatem celeberrimam Berolinensem petii, ubi institutiones clinicas Ill. Hufeland, Cel. Graefe et Horn frequentans, mense Februario Tentamen et Rigorosum coram gratiosa facultate medica Berolinensi subivi et absolvi. Quo facto spero fore, ut gratiosa facultas medicina post dissertationis defensionem honores in medicina et chirurgia summos benigne in me conferat.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Denominationes koretotomia, koretonectomia et koretodialysis nec rei neque linguae genio congruunt.*
 2. *Partum agripinum naturae viribus committere, ut nonnulli volunt et faciunt, sacpissime nocet.*
 3. *Sub constitutione annua inflammationibus praecipuis favente, extractio cataractae non instituenda.*
 4. *Tutius feliciusque paucis praxin exercebis remediis quam si magna eorum uteris copia.*
 5. *In inflammationibus sthenicis longa venaesectio-
tionum continuatio verenda.*
 6. *Nullum remedium specificum jure sic dictum.*
-